

IVDICIA
DE AETATE ET FABVLIS
PHAEDRI
IO. ALB. FABRICIVS

bibliothec. Lat. volum. I. lib. II. c. 3,

T. PHAEDRVS, Thrax, Augusti imperato-
ris libertus, sub Tiberio imperatore, atque ipso
fortassis iam defuncto, *) versibus senariis sua-
uissimis expressit libros quinque fabularum Ae-
sopiarum, quorum quatuor priores Eutycbo, po-
stremum Phileto Vrso Particuloni inscripsit, non
vane illi ominatus chartis nomen victurum suis
Latinis dum manebit pretium litteris. Quan-
quam inter veteres vix quisquam Phaedri me-
minit.

*) Minus hoc veri simile esse, ostendi in addendis
ad lib. I. fab. 2. qua Caligulam non Tiberium, signifi-
cari, cum aliis quibusdam coniecit vir doctissimus.

minit praeter Martialem lib. III. ep. 20, et
Auienum praefat. ad suas fabulas.

Lucem debent Phaedri fabellae viro optimo,
et iuuandis litteris nato, PETRO PITHOEŌ,
qui primus vulgauit Augustobonae Tricassium
a Clois LXXXVI. Ante Pithœum in illas in-
cidisse oportet Nicolau[m] Perottum, qui, suppresso
Phaedri nomine, non nullos eius versus pro suis
in copiae cornu recitat.*). Etiam Gabrieli Faēr-
no hoc datum vitio est, quasi in suis fabulis, ele-
gantissimis sane illis, Phaedrum imitatus; vel
aemulatus, scripta eius, ut ait lib. XXVIII, Thua-
nus, quae legerat, et penes se habebat suppressis-
set. Sed Perraultus, qui Faērti fabulas carmine
Gallico reddidit, inficiatur, Phaedrum Faērno
unquam visum fuisse. Fabulas vero, a Pithoeo
editas, antiqui illius Phaedri esse, negarunt Vof-
sius in Aristarcho II. 16. et Petrus Scriuerius ad

Mar-

*). De Perotti fraude, posteris tamen haud inutili-
nemo iam dubitabit, postquam in Italia tandem reper-
tus est ipse codex, in quem Perottus plures Phaedri
fabulas sua manu transtulerat, quibus pro suis usurpos
erat, atque ex eodem descriptae variantes lectiones, a
principe horum temporum litteratore, Burmanno,
publicatae, ad nos peruenierunt.

Martial. III. 20. Sed negarunt praeter rationem,
cum nihil illis fabulis sit tersius ac venustius, et
Tiberii se temporibus perspicue vindicet Phae-
drus ipse, de Seiano actore, teste ac iudice suo,
conquerens prologo libri tertii.

TANAQVILLVS FABER

animaduers. in Phaedrum cap. 1.

*Vanis rerum haud ducor: quin contra, sapien-
tissimorum hominum sententia impulsus, et vi-
tae communis usu edoctus, ita semper iudicauis,
hanc ediscendae sapientiae rationem, quae poëta-
rum ethicorum intelligentia nittitur, aliis institu-
tionibus, quae vulgo usurpantur, anteponi debere,
praesertim autem tristibus illis ineptis, queis
adhuc (ita inficetum saeculum est) Inconsultæ
iuuentus sub specie philosophiae imbuitur. Mi-
rum itaque haud sit, auctorem fuisse me biblio-
polae describendarum Phaedri fabellarum, et ad
eas recensendas, aut animaduersiōnibus purgan-
das, aliquid conferre me post tot doctissimorum
hominum curas voluisse. Etenim hoc mihi si
rō̄s μαλιστα persuasum, plus profuisse humano
generi hoc scriptorum genus, quam sexcentos*

Chry.

Chrysippus, et totidem Crantor; idque adeo si probare lubeat, allatis veterum sapientum testimoniis ab usque Socrate ad praestantissimos memoriae nostrae scriptores, nullo negotio facere possum.

IDEM

eodem loco.

Neminem arbitror ab felici illa Terentii simplicitate proprius abesse. - - Nemo certe e veteribus ingenio fuisse videtur ad illam Terentii semper lenitatem magis facta, quam Phaedrus.

FRANC. VAVASSOR.

de ludicra dictione sect. II, cap. 4.

Phaedrum igitur habemus, Augusti liberum, siue Octavianus, siue Tiberius, qui et nomine ipso hilaritatem prae se fert, et profitetur libelli sui dotem alteram e duabus esse, ut risum moueat, et fictis fabulis iocetur. Idem quam proprie de communibus et quotidianis rebus, quas alii tractarunt scriptores nulli, loquitur! quam sincere et ab omni peregrinitate atque insolentia removet! quam presse, nec moleste tamen! quam solute,

te, nec licenter! quam emendate litterateque, ac
bene, ut verbo dicam, Latine!

IO. CLERICVS

art. critic. part. I. cap. 2. n. 4.

*Non potest initio scriptor ullus vtilius legi
Plauto, Terentio et Phaedro, qui senariis versi-
bus, Augusti saeculo, Aesopicas fabulas expres-
sit. Hi enim res vulgares simplici dictione, et
elegantia quadam nativa grata, tradiderunt.*

IO. MATTHIAS GESNERVS

institution. rei Scholast. cap. II. sect. IV. n. 6.

*Qui praeter Ciceronem sint legendi videndum
est. Hic non dubito primo loco nominare Phae-
drum suauissimum purissimique oris fabulatos
rem. Quanquam enim versibus scripsit, parun-
tamen a solutae orationis perspicuitate discessit,
et, ob argumenti facilitatem pariter ac iucun-
ditatem, puerorum aetati maxime commendan-
dus est.*

CHRISTOPH. WAGENSEIL.

in peta libror. iuuenil.

praef. ad excerpta e Phaedri fabulis tom. I. p. 104.

Haesi non nihil ambiguus, quo maxime antiquo et ingenuo libro filium puerum Latinitatem iniciarem. Cumque nec seueritas epistolarum Ciceronis, nec aliis auctor prolixus, ac in rerum verborumque amplitudinem diffusus, videatur tantillo captui conuenire: Quintilianus confilio locum dandum esse mecum statui, qui aetati, nondum rhetorem capienti, Aesopi fabellas sermone puro, et nihil se supra modum extollente, narrare, ac nutricularum fabulis substituere suadet. Quam ob rem Phaedrum, quo nemo Aesopi aplogos magis scite, magisque diserte elocutus est, praceptorum filio exponere, et eleganteriores expressiones ediscendas committere iussi. Simul occasionem semper captabam monendi puerum, quid Aesopus per fabellas quaesierit, et quantum ad errores mortalium corrigendos eae faciant; ut sic mature virtutis et probitatis praceptoris teneram mentem imbucrem.